

# DE COGNITIONE DEI DIVINISQVE NOMINI-

BVS THEOLOGICAE CONCLUSIOES, QVAE PVBLICE IN SCHOLA

Theologorum disputabuntur ad 13. Calend. Septem. Prae quidem Reuerendo Patre Ioanne Cuuillonio Sacrosanctae

Theologiae Doctore & Professore ordinario Defensore autem Humanissimo artium libera-

lium Magistro Friderico Lichtenauero Augusto.

**D**EUS Opt. Max. sua quidem natura summe cognobilis existit: at uix tenuiter a nobis interim cognoscitur.

II.

Tribus autem uis, uti sacra ueterum tradit Theologia, Deus cognoscitur, ut omnium causa, ut creata omnia longe excellit, quae denique ab eo omnia remouentur.

III.

Et postrema quidem uia nobis, nostraeque cognitioni magis familiaris, ut hinc natum sit Theologicum illud Axioma, De Deo magis quid non sit, quam quid sit cognoscimus.

IIII.

Hoc triuim ingressi Philosophi multa de Deo utique cognouerunt, eius sapientiam, prouidentiam, bonitatem, aeternitatem, potentiam, iustitiam.

V.

Qui tamen in philosophando de operibus creatoris, operumque mundi exordio non parum errauerunt, dum hic mundum a Deo factum iam inde ab aeterno censet, ille primam duntaxat intelligentiam ab eodem conditam fuisse contendit. Vbi nos disputationis quidem causa illud defendemus, Mundum ab aeterno fabricari potuisse.

VI.

Et necessario certe in subsidium rationis humanae fides accessit, quae Deum ac Dei opera, & horum exordium per Moysen clarius certiusque monstraret, quam solius uel naturae, uel philosophiae ductu percipere mortales possunt.

VII.

Sed neque fides exactam satis ac plenam de Deo cognitionem prestare potest, ut hinc alia quoque sublimior ac absolutior cognitio, quae in seipso perfecte cognoscetur, in arcanis literis promittatur.

VIII.

Hanc absolutam Dei cognitionem nullus in hac uita mortali, (Iesum Christum Dominum nostrum semper excipimus) est unquam consequutus.

IX.

Nam Graecos & Latinos quoque scriptores non paucos hic errasse dicimus, cum putant essentiae diuinae uisionem in caelo quidem ullis communicari.

X.

Qua cognitione homines beari proprie assueueramus, eoque nullas cognitiones alias posse pertingere.

XI.

Hinc summum hominis bonum non uoluntati, sed intellectui competere, et ascribendum esse, licet plerisque dissentiant, defendemus.

XII.

Qua in re nobis etiam fauet intellectus praestantia, si cum uoluntate ille conferatur.

XIII.

Iam quemadmodum non modo Philosophorum, sed etiam Theologorum de Deo cognitio obscura, & imperfecta cernitur, sic ab utrisque nomina Deo non satis perfecta & propria tribuuntur.

XIIII.

Et in tanta Diuinorum nominum, quae extant, uarietate, nullum satis quid Deus sit explicat, nisi fortasse quod Graeci τετραγεννητον uocant, quia quatuor literis sit constitutum: Hebraei illud ineffabile putant.

XV.

Reliqua nomina quae Deo tribuuntur, a creaturis ipsis accepta, ac uelut emendicata uidentur, quae partim metaphorica, partim tropo carentia inueniuntur.

XVI.

Posterioris generis quaedam affirmatiua, quaedam negatiua, ac itidem alia relatiua sunt.

XVII.

Essentiam Diuinam quae nomina sunt affirmatiua designant, ut bonus, iustus, sapiens, istaque tribuuntur quae in Deo ab aeterno reperiuntur. Negatiua uero, ut immortalis, incorporeus, non itidem ad essentiam Dei spectant, licet ad ea etiam quae in Deo sunt aeterna referantur.

XVIII.

Porro relatiuorum quaedam ueluti, pater, filius, ab aeterno congruunt Deo. Quaedam uero ut Creator, Dominus, refugium, Deo quadram ex tempore.

XIX.

Inter quae omnia rursus hoc discrimen est, ut diuinorum nominum alia uni personae, alia duabus, alia demum tribus personis diuinis conueniant.

XX.

Ac tribus quidem personis in uniuersum tribuuntur affirmatiua, necnon metaphorica, his duntaxat exceptis quae filio Dei propter δικονομιαρ carnis (ut Graeci loquuntur) peculiariter ascribuntur: Cuius generis est illud nomen IESVS uere sacrosanctum, Redemptor item, Saluator, Agnus, Hostia, Leo de tribu Iuda, Radix Iesse, & quae sunt consimilia.

XXI.

Negatiua uero, praeter unum illud quod Ingenitum dicitur, patrique Deo debetur, tribus personis aequae competunt, & communiter accommodantur.

XXII.

Demum relatiuorum quaedam, ut genitor, genitus, uni personae duntaxat deputantur, quaedam uero duabus, ut Spiritus Rator, mittens, quaedam tribus, ut causa, Creator, & id genus alia permulta.

XXIII.

Deus autem, quod non proprium, sed appellatiuum est nomen, iam pro essentia, iam pro persona diuina sumitur, idque in hoc nomine, non alijs uero similiter accidit.

XXIIII.

Cum autem recte, & germane hoc Dei nomen usurpamus, non Iudicibus, aut Idolis, aut Angelis, qui tamen Dij aliquando leguntur, sed summe tantum, & aeternae illi naturae tribuendum uenit.

XXV.

Ac praeter nomen illud quod diximus τετραγεννητον nulla quidem aut concinnior, aut propria magis nomenclatura de Deo praedicari uidetur, quam cum appellatur, ut in Exodo. Qui est. Et, Ego sum qui sum.

XXVI.

Postremo cum magni referat, & obseruatione summa dignum uideatur, quibus nominibus summa illa Maiestas se nobis insinuare, et per scripturam explicare dignata sit: breuiter haec ipsa Dei nomina subiiciemus, nimirum sequuti Theologum summum Apostoli Pauli Discipulum Dionysium Areopagitam, qui de nominibus diuinis accurate scripsit. Sunt igitur haec. Omnium rerum causa, Ens, Vita, Lux, Veritas, Bonus, Pulcher, Sapiens, Diligibilis, Deus Deorum, Dominus Dominorum, Sanctus Sanctorum, Aeternus, Seculorum author, Indultor uitae, Mens, Verbum, Sciens, Thesauros scientiae eminentissime in se habens, Virtus, Potens, Rex Regum, Antiquus dierum, Inseparabilis, Immutabilis, Salus, Iustitia, Sanctificatio, Redemptio, Magnitudinis excellens omnibus, Zelotes, Perfectus, Vnus.



